DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BAILLIE ROSS, A. M.

Scotus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXV.

JOANNI THOMSON, M. D.

CHIRURGIAE MILITARIS

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI,

OB BENEFICIA IN SE SUOSQUE COLLATA,

ET

AMICITIAM NUNQUAM OBLIVISCENDAM,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

DEDICARE VULT

GULIELMUS BAILLIE ROSS.

NECNON,

PATRI SUO CARISSIMO,

REVERENDO GUALTERO ROSS,

DE CLYNE,

SUMMA CUM PIETATE,

HOC QUALECUNQUE SIT TENTAMEN,

SACRAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

TYPHO, summo jure, nomen pestis Europae tributum est; et quamvis in hac regione in forma ejus maxime virulenta, eo sumus immunes; tamen strages in partibus magis australibus ab illa editae, illum nostra attentione et cura sedulissimis dignum reddunt.

Haec febris in duas species, febrem nervosam (Typhum Mitiorem Culleni) et putri-

dam, malignam vel maculatam (Typhum graviorem ejusdem auctoris) ab omnibus auctoribus divisa est. Ex illis prior in hac regione longe frequentius occurrit; sed posterior quoque nimis frequenter, praesertim inter plebem, vel in illis locis, quibus multi conferti sunt, ut in carceribus, nosocomiis et navibus valetudinariis, se prodit; et in his maxime pestifera, ex nimia immunditie et ventilationis defectu, evadit; et propagatio, ex cura minima ad separandos aegros ab sanis adhibita, augetur.

Praeter has duas species, jam memoratas, plurimae aliae ab auctoribus recensentur. Sic Synochus Doctoris Culleni, Typhi modificatio procul dubio existit; et Icterodes calidarum regionum cum illo (Typho) verisimile arcte connectitur, quamvis excessu bilis et flavedine cutis in hac regione raro accidunt.

Synocham esse morbum rarissime videtur; et, si unquam se prodit, et symptomatibus, et consideratione causae, unde febris orta sit, facile dignoscatur. Febris milliaris et aphthosa quoque, a quibusdam medicis Bataviae memoratae, pro varietatibus morbi habeantur; illa a regimine inepto et calefaciente inducta, hac (in tempestatibus quibusdam magis quam aliis) in febre hujus regionis terrae occurrente.

Est et alia forma, a Doctore Currie memorata, quae, si non Typhus, eum maxime refert. Hanc febrem diversam a Typho plurimis in rebus depingit, maxime quod symptomata catarrhalia, et sensus valde acuti, qui in Typho plerumque sunt hebetes, intolerantia lucis excepta, semper eum comitantur. In febre a Currie memorata, remedia solita nihil valent; nam omnes casus qui occurrerunt,

lethales evaserunt. Sed contra, in aliis symptomatibus, impetu insidioso, magno calore, prostratione virium, oppressione apud praecordia, et proclivitate ad delirium, Typhum refert. Corpus quoque, ante mortem, petechiis fere semper esse obsitum nobis dicit: et cum morbum saepissime uti morbum inflammatorium esse tractatum, ob symptomata catarrhalia, perpendamus, eum semper lethalem evasisse, non est mirandum.

Nulla aetas, vel sexus ab impetu hujus febris est immunis; quamvis infantiam vel extremam senectutem, non tam frequenter ac florentem aetatem ei esse proclivem videtur. Infantes (ex qua idiosyncrasie constitutionis difficile est dictu) resistere huic morbo, valent. Sugere foeminas Typho, sub forma sua gravissima laborantes, cogniti sunt; usque

intra paucas horas ante mortem talium aegrotarum, et tamen ipsi contagio resisterunt.

Medici, nutrices, et illi quoque qui aegros curant, infectioni multo longius quam alii resistunt; et sunt qui ab ejus impetu prorsus incolumes existunt. Aliquem hac febre semel infectum ei postea non tam proclivem esse videtur; quod contra in intermittentibus evenire solet. Non est intelligendum hoc esse perpetuum; nam nonnulli hoc morbo saepius quam semel laborarunt: et in aliis proclivitas deploranda ad accipiendam contagionem quae minime abit; quia antea morbo afflicti sunt, existunt. Medicus celeberrimus hujus urbis exemplum talis praedispositionis memorat, sed exempla tantae proclivitatis rarissime occurrunt.

SYMPTOMATA.

Accessio Typhi mitioris frequenter est valde insidiosa. Aeger per aliquot dies languorem et lassitudinem levem, fortasse cum aliquo dolore capitis, tantum sentit. Sed in plurimis casibus haec adeo sunt levia, ut non queritur, sed negotia sua solita agit; et de ejus valetudine interrogantibus, illum non se male habere frequenter respondet. Etiam hoc tempore, quaedam vultus mutatio potest observari; magis solito depressus et moestus apparet; et semper ciborum appetentia deficit. Haec symptomata, vesperem versus, semper ingravescunt.

In hac conditione aeger quatuor vel quinque dies interdum manet. Sed inter hoc tem-

pus raro dormit profunde; et e somno valde interrupto, quo fruitur, expergiscens, de mente leviter turbatâ, et quâdam anxietate plerumque conqueritur. In stadio primo quoque pulsum quamvis debilem et parvum, raro frequentiorem fieri, in memoria est tenendum.

Hoc statu languido, per plurimos dies perstante, rigores accedunt; et hi cum suffusionibus subitis caloris alternantur, quos aliquid sudationis sequitur; (casus tamen mihi innotescunt, in quibus rigores unquam fieri aegri negarunt). Dolor capitis ingravescit. Tunc tinnitus aurium, dolor dorsi et lumborum, adsunt; et aegri de universa molestia queruntur; vel, ut ipsi dicunt, de dolore ossium. Hoc ultimum signum malorum febrilium fere omnium esse proprium, mihi est persuasum. Fastidium cibi; vertigo; et proclivitas ad

syncopen, conando se tollere erectum, quoque accedunt.

Pulsus fit celer, debilior, et aliquando irregularis; et per diem interdum multum mutatur. Calor quoque saepe est inaequalis, quaedam enim corporis partes frigidae, aliae sunt valde calidae; gravitas quoque est praecordiorum; urina plerumque est limpida. Delirium frequenter occurrit; raro est delirium ferox Culleni, sed Typhomania: et aegros saepe sibi aliquid mussitantes, cognovi; atque, cum aliquis illos allocutus est, optime responderunt. Aliis temporibus, tantum est aliquid turbationis mentis et auctae anxietatis, expergiscentibus e somno vel in eum decidentibus.

Tumores interdum imminuuntur et ulcera siccescunt; sed, febre quiescente, ad conditionem solitam plerumque revertuntur. Lin-

gua, quae ad initium fuit albidi coloris, fuscioris nunc fit, et saepe tumet. Dentes sub nigrae materiae densis crustis, quae etiam labris adhaerescit, obducuntur; quodque voratum habet saporem amarum; sed interdum acida sunt aegro jucunda.

In plerisque casibus est aliqua oppressio spiritus; et aliquando effusio copiosa salivae viscidae et glutinosae, quae obturando fauces, est magnae molestiae aegro. Lingua rigescit; et, aegro conante eam detrudere, tremit; et sic sermo indistinctus redditur. Sudores profusi erumpunt, vel diarrhoea molesta invadit: aphthae apparent in ore, atque hae in aliis tempestatibus magis quam in aliis. Aeger plerumque lucis fit impatiens; sed alii sensus frequentissime sunt obtusi.

Symptomata graviora morbi nunc appa-

rent. Delirium in coma transit; pulsus fit debilis, et frequentia haud numeranda. Aeger stimuli lucis non est conscius; est dilatatio pupillarum; aspectus vitreus oculorum; subsultus tendinum; floccitatio; stercora et urina exeunt involuntarie; coma profunda; aspectus cadaverosus vultus; et singultus invadunt; et aeger moritur.

Sic morbus pergit, lethalis futurus; sed (feliciter in nostro coelo) plerique casus fauste desinunt.

PROGNOSIS.

Prognosis nostra e symptomatum concursu et violentia est sumenda. Si nullus magnus calor cutis adest; si spiritus satis sit facilis, et aeger in utrumque latus satis commode

jacere potest; si delirium leve tantum vel coma existit; si circiter diem nonum, duodecimum vel quartum decimum, lenis humor in superficiem, qui calidus, generalis et fluidus esse oportet; vel si levis diarrhoea biliosa accedit; si urina est turbida, et sedimentum copiosum deponit; si lingua fit lenax; si non ingens est debilitas; si vinum est gratum aegro; et pulsus, illo exhibito, se submittit; sed magis, praesertim, si somno jucundo fruitur; et demum, si aeger aliquod ciborum genus appetere incipiat, tunc plerumque licet nobis optimas spes fovere. E remediis quoque adhibitis aliquid de morbi eventu praedicere valeamus.

Varia symptomata praeterea enumerata sunt prognosin faustam praebentia; ut surditas; suppurationes naturae phlegmonideae in glandula parotidea, eruptiones miliares, absque

sudoribus profusis; vel eruptiones pustulares circa os et nares. Sed his non tantum ac illis antea dictis, oportet nos niti.

Apud symptomata infausta, enumerare possumus determinationem sanguinis ad quandam partem; circuitum inaequalem denotantem, multum delirii, magis praesertim coma; foedum vel collapsum aspectum faciei; frigidos sudores; diarrhoeam colliquativam; urinam pallidissimum colorem induentem (quamvis haec pariter ac torpor occipitis plerumque delirium instans minitantur); parvum, debilem, et quem comprimi potes, pulsum; mutationem vocis; multum vertiginis; frigus extremitatum; visum pravum; pervigilium; difficultatem devorandi; aegrum ex lecto salientem, vel extendentem artus; impotentiam expellendi linguam, ejusque motum tremulum; et vomitum.

Convulsiones, dejectiones et urina inscie reddita, singultus, aspectus vitreus oculorum, stridor in gutture, finem infaustum et haud longe distantem, plerumque praegrediuntur.

Impetus Typhi gravioris multo magis est subitus, et omnia symptomata sunt vehementiora.

Rigores vehementes invadunt, et his cito accedit multum caloris et sudationis. Dolor capitis celerrime occurrit, et ingens vertigo ex initio. Nausea et vomitus quoque sunt graviores. Vultus primo apparet depressus et foedus. Et oculi multum demissi sunt qui multum quoque sunt pleni, graves, et nonnihil inflammati. Plurimum adest debilitatis et prostrationis virium, cum pulsu celeri parvo et debili, aliquando irregulari, vel etiam intermittente; cum dolore in dorso et extremi-

tatibus, et ingenti oppressione praecordiorum. Lingua est rigida, tumida et obducta nigris sordibus. Sermo saepe est non intelligendus; urina est pallida; et tandem sedimentum nigrum et foetidum plerumque deponit. Saepe est pulsatio arteriarum carotidum et temporalium, magna sitis, et sapor injucundus oris. Aeger singultit et gemit frequenter; spiritus est calidus et foetidus; et delirium plerumque, saepe coma adsunt. Magna anxietas febrilis quoque existit. Petechiae apparent, et sudores frigidi tenacesque erumpunt. Abdomen saepe tumidum et tensum, et oris lineamenta retracta et collapsa sunt. Oculis quoque nitor perit. Dejectiones nigrae et maxime foetidae erumpunt invito. Urina quoque aegro non conscio profluit. Aeger non potest excitari. Vibices erumpunt, et hae pariter ac petechiae saepe in gangraenam abeunt. Haemorrhagiae ex

plurimis partibus corporis quoque exeunt. Odor foedissimus ex corpore aegri, et magis praesertim ex halitu et dejectionibus oritur. Extremitates apparent mortuae, interdum ante corporis truncum. Catamenia in mulieribus saepe erumpunt; vel, si sunt gravidae, abortum saepe patiuntur. Pulsus intermittit et decidit; subsultus tendinum, convulsiones, et singultus paulo ante mortem occurrunt. Ex dictis indicis antecedentis varietatis febris, diagnosis non difficilis esse potest. Subita prostratio virium, symptomata naturae putridae, et praesertim contagio, unde febris orta est, cum impetu insidioso, et, ratione habita, mitibus symptomatibus (nisi tractatione mala aggravatis), Typhus mitior ex graviore facile distinguatur, efficiunt.

Diagnosis quoque inter Typhum mitiorem et Synocham (si talis unquam occurrit,) vix

unquam dubia esse potest. Auctores synocham subito invadentem cum pulsu valido, duro et pleno; magno calore; cute sicca; et florido vultu; delirio feroce; urina ruberrima; et sanguine tunicam coriaceam induente, descripserunt. Omnia haec symptomata frequentissime in Typho absunt. Neque tantum est debilitatis in synocha, ac in Typho; et in illo, quoque, aegrum, aliquibus causis excitantibus, ejus praesertim contagioni, objectum fuisse, reperire possumus.

In synocho Culleni, vel febre mixta, ad concursum et progressum symptomatum attendere est necessarium, ut eum a Typho vero, cujus tamen est evidenter modificatio, et in quam in stadiis provectioribus semper currit, discernamus.

De Causa Proxima hujus febris inter tam multis auctoribus (apud quos

Culleni eminet) disputatum est, ut summa esset mihi audacia, ullam opinionem de ea proferre, quum sententiae singulae horum non sunt bene probatae.

Feliciter tamen de causis remotis et occasionalibus magis constat, quae sunt majoris momenti; sed hae non tam multae, ut medici sibi persuaserunt, existunt.

Causae praedisponentes plures sunt numero quam excitantes. Aetas certa, vel quae vocatur meridies vitae, actioni causarum occasionalium peculiariter esse proclivis videtur: pathemata anima deprimentia; magna fatigatio; multa expositio frigori; et debilitas, utcunque inducta, vel prioribus morbis, vel depletionibus, vel tenui diaeta, causae sunt, quae praesertim proclivitatem Typho dare videntur.

Multae aliae causae praedisponentes enumeratae sunt, sed de iis non tam bene convenit. Inter has, habitus relaxatus, coelum humidum et serenum, nimius victus ex carne, et vis calidae regionis recensentur. Haec ultima maxime esse videtur iners, cum calores sunt vehementes ; sic, Doctore Lind testante, ventis fervidis in desertis Africae efflantibus, morbis contagiosis pro tempore obstatur. Hoc etiam in variola accidit, quamvis haec, ardoribus ingentibus abeuntibus, plerumque iterum invadunt. Idem de peste in Egypto, et de Typho Icterode in India occidentali observatum est.

Causae occasionales attentionem gravissimam postulant.

Effluvia e corpore humano cum condensata sunt, e plurimis hominibus in parvo loco in-

clusis, et praesertim cum aër non bene diffunditur, febrem valde virulentam et malignam inducere probe constat; et ex hâc causâ plerique febrium lethalium quae saepissime in navibus, hominibus nimis impletis, et in carceribus erumpunt, verisimile originem habent. Hujus exemplum certissimum habemus in casu Domini Holwell, et ejus comitum, quorum perpauci e carcere in Calcutta evaserunt, omnes quorum paucis diebus postea, febre, in qua vis putrida valde se exhibuit, correpti sunt.

Victus e carne sola, et praecipue salsa, utpote causa allatus est. Haec certe scorbutum, an vero febrem, inducit, est incertum. De effluviis animalibus et vegetabilibus putridis idem sentio, quamvis anatomicus bene notus hujus urbis, quatuor ex discipulis suis, paulo post adfuerant dissectioni cadaveris, ex

abdomine cujus odor maxime foetidus eruperit, febre affectos esse, ipso solo omnium excepto, memorat.

Sed causa frequentissima et certissima febrium continuarum est contagio, vel halitus e corpore alicujus eodem morbo laborantis oriens.

Naturam hujus veneni majoribus nostris non bene cognitam fuisse videtur; et quamvis temporibus recentioribus multum in reperiendo methodos, ad id prohibendum et tollendum effectum est, principia ejus intima scrutationem nostram adhuc certe eluserunt.

Ab observationibus Doctoris Haygarth, multo plures, quam olim putatum est, effectus ejus, quanquam expositos dosi ejus satis magnae, evadere videtur; eodemque tempore id

non tam late extendere, ut multi sibi persuaserunt, apparet.

Ille putat unum solum in triginta, vel triginta et tribus ei satis expositis incolumem evadere, nam in cubiculis mundis, et bene ventilatis, actio veneni multum minuitur; et rebus sic se habentibus, latius paucis pedibus a corpore aegri non diffunditur, nisi quidem flumen aëris spiret super lectum, nam sic contagionem ad majorem distantiam posse communicari veri est simile.

Multum de modo, quo contagio primo in corpus se insinuet scriptum est: sed nulla certa scientia de hac re adhuc prolata est. Quomodo diffusa est quoque argumentum disputationis praebuit. Nonnulli id chemice cum aëre esse commistum atmospheriae proposuerunt; aliis id tantum in hac suspendi affir-

mantibus. Doctore Haygarth testante, id in solutione aëre atmospherico tenetur; eique opinioni maxime consentio.

Quod ad modum operandi pertinet, alii effectibus stimulantibus, alii collapsu, et sunt qui effectibus sedantibus fermentum putridum massae fluidorum circulantium praebentibus id agere contendunt; vel quod verisimilius est, id vim suam in systematis irritabilitatem exercere, eodemque tempore, id quasdam e secretionibus in putridinem rapere est condendum.

Ex omnibus excretionibus illa per alvum infectionem inducendi majorem vim, quam spiritus et materia ex superficie corporis exhalata, habere videtur. Contagionem in systema cum spiritu ex ore, faucibus et bronchiis absorptum est verisimile.

Doctor Haygarth opinionem in quam inire non possum, scilicet communem sententiam medicorum et nutricum non proclivium existentium contagioni esse falsam, profert. Ad hanc probandam analogiam medicaminum quorundam (ut opii) effectibus quorum, ut bene notum est, corpus humanum ex longo usu, fit immune, memorat. Sed idem dicit, usu hujus narcotici sublato, etiam in breve tempus, aegrum, eo iterum adhibito, effectus solitos ex copia communi medicaminis sumpta experiri; igitur medicos non semper aërem pestiferum inspirandi consuetudinem habentes effectibus veneni pariter ac alios proclives esse.

Haec opinio, tamen, maxime dubia esse apparet, et ab analogia, ex qua sumitur, minime est accurata, nam aliqui qui praeparationes opii sumere solebant, et qui dosi solitae

non afficiebantur, quamvis medicamentum per aliquod tempus antea omiserant, mihi noti sunt. Nobis quoque medicos et nutrices in nosocomiis contagionem saepe evadere, dum cognati aegrotantis, qui eum viserunt morbo infecti sunt, innotescit. Quoque cognovimus homines nocentes vestimenta impune induisse, quae tamen infectionem aliis veneno haud assuetis, communicarunt.

Intervallum, *latent* dictum, contagionis, vel illud spatium quod intercedit a tempore, quo contagio in corpus accepta fuit, donec infectio vel symptomata febris superveniunt, a paucis horis ad duas menses variat. Sed tempus solitum variat ab diebus decem ad viginti quinque, vel triginta.

METHODI PROHIBENDI.

Typho in familiis, scholis vel confertis locis apparente, aeger in parte remota aedis statim est locandus; et omnis communicatio cum ceteris stricte est prohibenda, et vasa aegro necessaria usui ejus solius sunt separanda. Lectus aegri ita est locandus, ut aër circa eum libere perfletur; quam minimum supellectilis est usurpandum. Conclave debet carere tapete. Vela ductilia lecti non sunt arcte circumducenda; sed lucem ab aegro tantum intercluderent. Omnia dejecta statim sunt tollenda: et famula quam minime vaporem ex illis orientem debet inhalare. Lintea lecti et corporis frequenter sunt mutanda. Vestes ab aegro exutae in aquam frigidam sunt conjiciendae; et tunc diligenter

lavandae, et aëri libere exponendae. Frustum serici oleosi infra indusium inferius quoque geratur.

Nullus ignis in conclavi est servandus; et fenestrae (praecipue per aestatem) diligenter sunt apertae servandae; etiam per noctem non omnino sunt claudendae; et haec praescripta iis in conclave exiguo detentis praesertim sunt necessaria. Quoniam odor aceti aegro est gratus et jucundus, circa lectum hoc spargatur; et curantes non debent sedere, et praesertim non dormire, cum rivus aëris super corpus aegri perflati eos versus vehitur.

In carceribus, nosocomiis, navibus, casis militaribus, majore cura opus est.

Cum fumigationes diversae sunt maxime

utiles, nonnullae earum longe abhinc laudatae sunt, ut ustio ligni, tabaci, pulveris nitrati, &c. Sed haec tantum expellendo aëra corruptum et promovendo ventilationem mechanice agere videntur: fortasse, quoque, curantibus solummodo fiduciam dant. Fumigationes acidae recentius adhibitae sunt adhuc majoris momenti. Ex his acidum nitrosum, ut a Doctore C. Smith praescriptum, maxime commodum et efficax existit. Fumi, injiciendo nitratem potassae in acidum sulphuricum calefactum, et agitando misturam subinde vitrea spatula obtinentur.

Cum contagio vehementissima est, et cum multi aegri in eodem loco inclusi sunt, vasa circa decem pedes, aliud ex alio, sunt locanda. Sed in conclavi longo, et non conferto, pedes quindecim, vel viginti, inter ea intercedant.

Fumigationes circiter duas horas per singulas vices plerumque sunt continuandae, quòd fumi acidi minimum molestiae aegris efficiunt; et omni mane sunt repetendae, vasis sub lectis aegrorum latis, et interdum per breve tempus subter iis servatis.

Acidum muriaticum et sulphurosum quoque in usum venerunt, et certe vires habent; sed ad ea, cum aegri e conclavi amoti sint, tantum confugi potest.

Lavatio corporis aegri quoque est utilis; et curantes certe vestes suas mutare debent, priusquam in multitudinem veniunt: nam Doctori Haygarth minime consentire possum, hominem non posse fieri fomitem nisi ipse afficiatur.

METHODUS MEDENDI.

In primis stadiis febris continuae confugiendo ad frigidam affusionem, ut a Doctore Currie praescriptam, progressui ejus magis obstatur: "When there is no sense of chill-
" ness present, when the heat of the surface
" is steadily above what is natural, and when
" there is no general or profuse sensible per-
" spiration."

Fortasse Doctor addidisset usum ejus non tam multum indicari, cum symptomata catarrhalia adsunt; vel cum auctus fluxus ad pulmones existit.

His exemplis exceptis aeger ab ea multum levatur. Calor minuitur; pulsus decidit;

delirium saepe cessat; anxietas febrilis multum decrescit; et somnus tranquillus et quietus plerumque sequitur. Una applicatio tamen raro sufficit, et symptomata post aliquod temporis iterum apparent, quamvis vi minuta; affusio repetita igitur est necessaria, eamque eadem commoda ac antea sequuntur. Ex affusione hoc modo saepius per diem admota, vis morbi vel prorsus superatur, vel multo mitior saltem quam antea redditur.

Cum ex prejudiciis aegri vel curantium ad affusionem frigidam non confugitur; affusionem tepidam vel frigidam lavationem, admoveamus. Hae, quamvis symptomata minuunt, raro morbum tollunt. Si multum debiltatis adest, hoc remedio non licet nobis uti; sed per totum cursum morbi idonea est ratio, et sensibus aegri gratissima, inspergere corpus frequenter aqua tepida et aceto.

Cum fluxus auctus caput versus adest, hoc est abradendum, et frequenter cum aqua et aceto est lavandum, nisi admovere epispasticum parti sit necessarium.

Diu fuit consuetudo emetica ad initium febris exhibere; et haec in nonnullis casibus certe morbum sustulerunt. Rebus sic se habentibus emeticum tuto et commode exhibeamus, sed ut repetatur, quia aegrum multum debilitat, minime essem auctor. Emeticum quoque in materias morbidas e ventriculo expellendo adjuvet; sitim levat; et in quibusdam casibus, nauseam, quae adest, minuit.

Ad initium hujus febris, et in aegris plethoricis, missio sanguinis generalis ab auctoribus vetustioribus laudata est; sed eam frequentius laedere quam prodesse mihi videtur. Si magnus fluxus ad ullam partem oc-

currit, missiones sanguinis locales, me judice, sufficient; et hae debilitatem sequentem, semper a generali missione inductam, non efficiunt.

Diaeta oportet esse frigida et parca, e fructibus, et materiis vegetabilibus constans; quidem ad idoneum victum, natura duce perducimur, illique nunquam debet obstari. In stadiis posterioribus, tamen, cum multum debilitatis urget, sorbitiones, vel potius gelatinae, ad vires sustentandas, sunt concedendae. Aegro quoque satis potus frigidi est suppeditandum, qui cum acidis mineralibus vel vegetabilibus grate acescat. Haec sunt anteponenda; aqua hordei, panis tostus cum aqua, vel tenuis cerevisia potest exhiberi, sed succus citri medici est optimus, et plerumque potus maxime jucundus aegro. Aurantia et

omnes fructus aciduli sunt commodissima, atque ad aegri libitum possunt sumi.

Quod stimulus stercoris retenti maxime nocet, alvum servare solutam oportet, idque potius usu laxantium lenium quam clysmatis, ut a Doctore Culleno praescriptum est. Cautela tamen in exhibendis catharticis in hoc morbo opus est; quod magna dosis aliquando nullos effectus edit, dum, aliis temporibus, parva, effectus validos exhibet. Magnesia vel rheum palmatum, sales medii, jalapa, calomela, &c. sumantur, quae ad nauseam inducendam minus sunt proclivia, si cum quodam aromatico, ut pimento conjuncta. Aliquando tamen cathartica in ventriculo non manebunt; cum hoc accidit, vel cum aeger ea sumere nolit, clysmata sunt necessaria.

Nausea gravi vel vomitu oborto per cursum febris, nihil quam haustus effervescens ei obstandi majorem vim habet. Optimus (ut mihi videtur) est ille compositus ex acido citrico et sub-carbonate potassae. Hic fortasse vires refrigerantes quoque habet; cum tamen vomitum non levat, opium in diversis formis sit utile, et mixtus aër aetheris sulphurici cum alcohole aromatico prodesse, omnibus aliis modis frustra tentatis, vidi. Sudor inductus irritationem ventriculi, ut a Sydenham fertur, levandi, magnam vim habet. Opiata in Typho exhibere solitum est, et optimos effectus soporem inducendo et illud dilirium quod pervigiliam sequitur, levando, interdum praebent; alias tamen, augendo febrilem calorem, et praecipue sitim, evidenter nocent, dum eodem tempore soporem non inducunt, atque anxietatem et dilirium augent. Ullo ex his symptomatibus invadente, opiata sta-

tim sunt omittenda; sed in plerisque casibus certe prosunt et exhiberi debent.

In progressu Typhi stimulantia semper sunt utilia. Ex his praecipuum est vinum. Nullo magno renixu vel nullo magno fluxu sanguinis ad ulla e visceribus maximis, existente, usus vini in hoc morbo est utilis quamdiu aegro sit jucundus. Cum ex eo pulsus fit plenior, et magis praesertim quoque, si tardior evadit, et cum calor et delirium eodem tempore levantur tamdiu, multo cum fructu exhiberi potest.

Parvis quantitatibus plerumque incipimus, ut unciis sex ad uncias septem in dies, idque cum aqua mixtum damus; sed augere dosin saepe est necessarium. Vini libra una vel altera viginti quatuor horarum spatio concedi potest. Quantitas tamen media ex unciis

decem ad uncias duodecim in dies sit. Cum ex aliqua re peculiari, vinum non potest exhiberi, cerevisia sufficiatur, vel liquor dictus *cyder*, vel spiritus ardentes, optime convenient, et interdum in ventriculo, vino ejecto manebunt. Tamen cum aqua sunt diluendi.

Alia stimulantia quoque sunt laudata. Sed vere est simili, vinum usui eorum supersedere posse. Cum tamen, nec vinum nec spiritus sumi possunt, tinctura cardomi vel tinctura aromatica experiatur.

Cinchona a nonnullis multum fuit laudata, sed aegris in stadiis profectis fastidium movere solet; et cum hoc fit, plerumque ejicitur vomitu: vim ejus quoque tam magnam ac perhibetur, non esse probabile est.

Sudorifica, et praesertim preparationes antimonii, remedia maxime laudata, et solita in hoc morbo olim fuerunt, et adhuc aliquando in usum veniunt. Sed usus eorum in vero Typho, ab effectibus evidenter debilitantibus, maxime esse dubios videtur.

In quibus casibus antispasmodica quoque praescribere necesse visum est. Spasmo superveniente, res me judice plerumque est desperanda. Sed si his utendum est, opium certe est praestantissime; proximum ei est balneum calidum, vel calida fomenta; haec quoque somnum, aliis frustra tentatis, inducunt. Moschus, camphora, ammonia, imo etiam phosphorus exhibita sunt. Sed ea non tam multo referre puto, phosphorus praesertim omnino in desuetudinem abiit.

Acida, muriaticum et oxymuriaticum a

medicis quibusdam multum laudata sunt, quia corpori oxygenium praebeant, habentur. Sed ea hoc modo agere, dicere non possumus, utrum enim oxygenium in his substantiis revera existit, nunc non constat.

Multa alia medicamenta temporibus diversis, prolata sunt, ut arsenicum, spuma cerevisiae (Anglicè *yeast*). Ea raro tamen exhibita sunt, et bonos eorum effectus non possum probare. Febre inclinata, et aegro vires recuperante, lenis exercitatio plurimum prodest. Cinchona et alia tonica tunc quoque sunt utilia, et ad balneum frigidum multo cum commodo confugere liceat.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.